



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. III. Quæ à restitutione excusent?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

Quæres. Utrum prius exigenti non liceat prius solvere?

Resp. I. Solvens scienter posteriori, præterito qui habet hypothecam priorem, vel privilegiatâ, peccat, teneturq; priori de damno, qui etiam potest recuperare solutum, *Less. d. 5. ex l. Scimus §. Et si præterea c. de jure delib.*

II. Si ex pluribus creditoribus personalibus æqualib. aliquis exigat (sive in judicio, sive extra) tenetur ei integrum solvere: quia diligentia fecit eum potiozem, *Nav. Sylv. Bon. l. c. ex L. Pupillus ff. que in fraudem.*

III. Debitor sciens statum suum labentem non potest non petenti integrè satisfacere, sed debet omnibus personalibus solvere pro rata (si tamen iste solutionem accepisset, an posset retinere controvertitur, *v. Bon. Less. l. c. Trul. l. 7. c. 14. d. 12.*) nec potest uni solvere, omissis aliis, nisi secundum ordinem supradictum.

ARTICULUS III.

Quæ à restitutione excusent?

Resp. Ex parte debitoris excusant ea, quæ faciunt, ut creditor rationabiliter debeat esse contentus, et si de facto non sit contentus. Ira commun. *Doct. vnde resolvuntur. Casus sequentes.*

I. Excusaris in foro conscientia (juxta sententiam probabilem) à compensatione damni, si illud datum sit sine tua culpa Theologica gravi, hoc est mortali peccato; nisi aliud cum altero pactus sis, vel inde sis factus ditior. Unde excusaris, si v. g. ali-

aliquem occidisti ex subita ira, ut fuerit motus tantum primò primus, vel secundo primus, vel si ex oblivione non extinxeris candelam, & hinc ortum sit incendium, &c. Quòd si autem advertens periculum in actionibus periculosis, omittas eam diligentiam præcavendi, quam homines ejusdem conditionis communiter præstare solent, graviter peccas, & teneris restituere damna secuta. Porro in foro externo proceditur secundum culpam juridicam, quæ sæpè non est peccatum, & dividitur in latam, levem & levissimam.

II. Excusaris à restitutione incertorum, si fecisti compositionem cum Episcopo, vel Papa. *Leff. c. 16. d. 11. Bon. q. ult. p. 2.*

III. Item si in casu, quo teneris rem restituere pauperibus, tibi ipsi revera indigenti eam des: & tunc quidem postea factus ditior, adhuc non teneris restituere, *v. Lay. l. 3. t. 2. c. 12.*

IV. Si non possis restituere, nisi cum notabiliter graviore damno, tibi vel tuis, vel Reipub. inferendo, quàm æstimari debeat commodum ex restitutione creditori obventorum: tunc enim differre potes, dum cesset ista impotentia. *Lay. l. c. ex Sylv. Navar. &c.* Idq; verum est etsi debitum sit ex delicto, uti & in sequentibus casibus.

V. Si ad restituendum sis impotens, ut si vivere non possis secundum decentiam tui status justè à te acquisiti. Unde si nobilis, v. g. non potest statim solvere, nisi se privet famulis, equis, armis, &c. vel civis primarius; si obeat artem mechanicam sibi insuetam, vel mechanicus nisi vendat instrumenta sua; quibus vivit, aut magnum damnum subeat.

potest differre, & paulatim restituere sine iactura sui status, *Laym. l. e. Bon.*

VII. Quod si tamen tuâ culpâ in illas angustias delapsus sis, v. g. luxuria, ludis, superfluis expensis vestium, tibi imputare debes, quod jam sine status tui amissione non possis satisfacere. *Ibid.*

VII. Quod si item creditor ex dilatione æquale damnum subire debeat, tu potius, quàm is, sustinere debes, cum eius conditio sit melior. Excipitur extrema necessitas, in qua quoad usum, sunt omnia communia. *Ibid.*

VIII. Quod si item damnum, quod timetur ex restitutione, non esset propriorum bonorum, sed in hoc præcisè tantum, quod spoliet se rebus debitis, non potest ideò differre restitutionem: quia hoc non est pati in suis rebus, neq; suum statum amittere, sed est dimittere alienum, & reverti ad statum proprium, *Sayr. Bon.*

IX. Item excusatis à restitutione, si fieri nequit absq; periculo salutis animæ tuæ, vel tuorum, ut v. g. si non possis absq; peccato, ut si sit periculum, ne uxor aut filia se prostituant, ne filii se dent latrociniis, ne ipse per impatientiam incidas in desperationem, *Bon. ex Less. Mol. Fill.*

X. Item, si non possis restituere absq; periculo vitæ, vel notabili detrimento famæ: cum aliàs plus damni sustineres, quàm intulisti, *Bon. q. i. g. ult. p. v.*

XI. Item, si cedas bonis: quia leges concesserunt, ut qui contraxit multa debita, nec habet unde solvat, possit cedere bonis, ea relinquendo in manibus creditorum, & tunc maneat liber, ita ut
etiam

etiam in conscientia sit tutus, retentis instrumentis artis, & quæ ad sustentationem sunt necessaria. Quod si tamen postea redeat ad pinguiorem fortunam, tenetur adhuc restituere, ex *L. cum & filii fam. qui bon. Nav Bon Less.* Ex quo *Trul. l. 7. ca. 15. d. 5.* sic limitat: si acquirat plus, quam ad decentiam status est necessarium ex dicta *L. qui Bon.* Nisi tamen delicta proveniant ex delicto, v. g. furto, eo enim casu tantum posse retinere, quæ simpliciter necessaria sunt ad victum, docet *Nav. Salon. Less. l. c.* etsi hic concedat ea, quæ post cessionem iuste acquiruntur, licitè retineri, si ad statum sint necessaria. *vid. Tol. Laym. l. 3. t. 2. cap. 12. Less. l. 2. cap. 16. d. 3. Bon. Trul. l. c.* Porro etsi cessionem dictam non habere locum in bonis ex delicto provenientius, communiter teneant DD. cum *Laym. l. c.* contrarium tamen ex *Less. Dian. &c.* docet *Trull. loc. c.* Denique etsi debitor principalis cesserit, non ideò liberantur fideiussores, *Lugo Dia. p. 7. t. 8. R. 18. & alii, 8.*

Resp. II. Ex parte creditoris excusat, 1. Si is cui debet restitui, semel remiserit, expressè vel tacitè; v. gr. si laceravit tuum chirographum, vel tibi reddidit. Remissio autem hæc debet esse libera, non metu, fraude, vel mendacio extorta. *Fill. tr. 32. cap. 5. q. 1. Less. l. 2. cap. 16. d. 2.* Excusat in foro conscientia, si solvisti ei, cui debebat tuus creditor *Less. d. 5. Bon. p. 3. 3.* Si compensatio facta est creditori per commodum æquivalens, v. g. per procurationem officii non gratis factam. 4. Omitti, aut saltem differri potest restitutio, imò aliquando debet, si creditor sit abusur⁹, v. g. si quis pecunias tibi

mutuo datas repetat ad fornicandum, vel aliter peccandum. Item si eas repetat ad peccandum contra iustitiam, sive inferendum damnum iniustum tertiæ personæ, nisi tamen ex negatione restitutionis timeretur majus malum.

CAPUT III.

De Contractibus.

DUBIUM I.

Quid in genere sit Contractus?

REsp. Est pactum sive consensus duorum, quo scienter, liberè, & legitimè, uterq; se vicissim, vel minimum saltem una pars, se alteri acceptanti obligat, quocunque signo externo id fiat: ut v. g. in contractu mutui, ex una parte mutuans se obligat non repetere mutuum ante certum tempus, ex altera parte mutuarius se obligat, tunc illud reddere; & sic de aliis. In promissione autem, vel donatione absoluta, una pars tantum obligatur post alterius acceptationem. *Vnde resolvuntur casus sequentes.*

I. Si alteri promisisti, aut donasti interius tantum, aut si externo signo quidem, alter autem non acceptavit, non fuit contractus, nec obligaris.

II. Invalidus est contractus, si contrahentes sint inhabiles ad contrahendum, vel si jus positivum resistat, v. *Less. l. 3. c. 37. d. 8.*

III. Item si materia contractus sit illicita, ut si sit peccatum, vel illegitima, ut si sup vendat rem alienam.